



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Microsynodus Norinbergen.**

**Mosham, Ruprecht von**

**[Köln]**

**VD16 M 6434**

Disputatio D. Martini Lut. contra quosdam Antinomus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36760**

# DISPVATIO

*D. Martini Lut. contra quosdam Antinomos.*

- 1 Pœnitentia omnium testimonio & uero, est dolor de peccato, cum adiuncto proposito melioris uitæ.
- 2 Hic dolor proprie aliud nihil est, nec esse potest, quàm ipse tactus seu sensus legis in corde seu conscientia.
- 3 Multi enim audiunt quidem legem, sed quia sensum seu uim legis non sentiunt, nihil dolent neq; pœnitent.
- 4 Pœnitentiæ prior pars, scilicet dolor, est ex lege tantus. Altera pars, s. propositum bonum, non potest ex lege esse.
- 5 Non potest enim homo territus à facie peccati, bonum proponere suis uiribus, cum nec quietus & securus id possit.
- 6 Sed uì peccati cõfusus & obrutus, cadit in desperationẽ & odiũ dei, seu descendit ad inferos, ut scriptura loquitur.
- 7 Ideo addenda est legi promissio seu euangelion, quæ conscientiam territam pacet & erigat, ut bonũ proponat.
- 8 Pœnitentia solũ ex lege, est dimidiũ, uel initiũ pœnitentiæ, seu p synecdochen pœnitentia, q̃a caret bono pposito.
- 9 Et si perseuerat, fit pœnitentia Cain, Saul, ludæ, & oĩm de dei misericordia diffidentium & desperantiũ .i. pereuntũ.
- 10 Sophistæ definitionem pœnitentiæ, q̃ sit dolor & propositum &c. ex patribus habuerunt & docuerunt.
- 11 Sed partes definitionis, dolorem, peccatum, propositũ, non intellexerunt, nec docere potuerunt.
- 12 Dolorem finxerunt esse, actum elicitem uì arbitrii liberi, qui detestaretur peccatum, quoties uellet aut nollet.
- 13 Cum dolor is sit passio seu afflictio, quam conscientia uelit, nolit, pati cogitur, lege tangente seu torquente.

e ij



ANTINOMICAE MARTINI LVT.

- 14 Peccatum finxerunt esse, quod contra traditiones ho-  
minum esset, rarius quod contra moralem legem.
- 15 Originale uero post baptismum, ne peccatum quidem  
esse cogitauerunt, praesertim in prima tabula.
- 16 Contra has paleas, lex malleus dei (ut Ieremias ait) con-  
terens petras, omnes homines sub peccato concludit.
- 17 Propositum bonum putabant esse cogitationem ele-  
ctitiam uiribus humanis, de peccato in futurum uitando.
- 18 Cum secundum euangelion sit impetus spiritus sancti  
peccatum deinceps ex amore detestans, rebellante licet  
terrimo fortiter peccato in carne.
- 19 Nec miranda haec eorum ignorantia, cum scriptura post  
habita, nec quod lex, nec quod euangelion esset, nosse potuerint.
- 20 Scilicet hominum praecipis & mandatis profusus im-  
mersi, ut de rebus sacris & diuinis tamper somnia iudicari.
- 21 Contra hos inutiles & desperationis magistros euan-  
gelion coepit docere, poenitentiam non oportere tantum  
desperationem esse.
- 22 Sed poenitentes debere spem concipere, & sic ex amore  
dei peccatum odisse, id quod est uere propositum bonum.
- 23 Hoc aliqui, causas dicendi, seu materia subiectam non  
considerantes, contra legem dei dici putabant.
- 24 Et perniciose docent legem dei simpliciter tollendam  
esse ab ecclesia, id quod blasphemum & sacrilegum est.
- 25 Vniuersa enim scriptura tradit poenitentiam a lege dei  
inchoandam, id quod rei ipsius ordo & experientia quod  
monstrat.
- 26 Conuertantur (inquit) in infernum omnes qui obli-  
scuntur deum. Et, pone domine legislatorem super eos,  
sciant homines &c.
- 27 Reple facies eorum ignominia, & quaerent nomen  
domini, Et in operibus manuum suarum comprehen-



## CONCLUSIONES.

ius est peccator.

28 Ordo rei est, q̄ mors & peccatum est in natura ante uitam & iustitiam.

29 Non enim iusti aut uiui sumus, peccato aut morti tradendi, sed peccatores iam & mortui per Adam, iustificandi & uiuificandi per Christum.

30 Quare prior docendus est Adam, (id est, peccatum & mors) qui forma est futuri Christi postea docendi.

31 Peccatum uero & mors, non est uerbum gratiæ & solatiij, sed per legem necesse est ostendi.

32 Experientia est, q̄ Adam prius arguitur legis trāsgressor, post per semen mulieris promissum erigitur &c.

33 Et Dauid prius lege per Nathan occiditur dicentem, Tu es ille &c. Post euangelio seruatur dicente, Non morieris &c.

34 Paulus prius lege prostratus audit, Quid me persequeris post euangelio uiuificatur, Surge &c.

35 Et ipse Christus Marci. i. Pœnitementi & credite euangelio, appropinquauit enim regnum dei.

36 Iterum, Oportuit in nomine eius prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum.

37 Sic & spiritus primo arguit mundum de peccato, ut fides doceat in Christum, id est, remissionem peccatorum.

38 Pauli ad Romanos epistola, hanc methodum seruat, ut prius doceat omnes esse peccatores, iustificandos per Christum.

39 Idem testatur Lucas in Actis, Paulum docuisse & Iudæos & gentes neminē iustificari posse, nisi per Christum.